



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Avgvstini Barbosæ I. V. D. Lvsitani, Protonotarii, Et  
Ivdicis Apostolici designati pro Tribunali Nunciaturæ  
Hispaniæ, ac insignis Ecclesiæ Vimaransenis Thesaurarij  
Maioris, Collectanea Doctorvm, Qui ...**

**Barbosa, Agostinho**

**Venetiis, 1643**

5. Conseruatoriæ litteræ in quibus vim habeant.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14108**

<sup>a</sup> Suprà c. 7. & sess. 6. de reform. c. 3. c. irrefragabili in princ. de off. ord.

<sup>b</sup> Suprà sess. 6. cap. 4. de reform. & infr. sess. 24. de reformat. cap. 5.

**O**Mnes Ecclesiarum Prælati, qui ad corrigendum subditorum excessus diligenter intendere debent, & à quibus nullus Clericus per huius sanctæ Synodi statuta, cuiusvis privilegij prætextu, tutus censetur, quo minus iuxta canonicas sanctiones visitari, puniri, & corrigi possit, si in Ecclesijs suis resederint, quoscumque sæculares Clericos, qualitercumque exemptos, qui alias suæ iurisdictioni subessent, de eorum excessibus, criminibus & delictis, quoties & quando opus fuerit, etiam extra visitationem tanquam ad hoc Apostolicæ Sedis delegati corrigendi, & castigandi<sup>b</sup> facultatem habeant; quibuscumque exemptionibus, declarationibus, consuetudinibus, sententijs, iuramentis, concordijs, quæ tantum suos obligent auctores ipsis Clericis, ac eorum consanguineis capellanis, familiaribus, procuratoribus, & alijs quibuslibet, ipsorum exemptorum contemplatione, & intuitu minimè suffragantibus.

**V**ide Franc. Leon. in thesauro fori eccles. p. 2. cap. 2. num. 62. plures per me citatos de officio & potestate Episcopi, p. 3. allegat. 74. & suprà à sess. 7. de reformat. cap. 8. Episcopum non posse ex hoc cap. etiam extra visitationem corrigere, & punire clericos sæculares exemptos ab Episcopo, & alteri inferiori Ordinario seculari intra diocesim existentes subiectos, decisum refert Armen-  
dat. in addit. ad recopilat. legum Navarra lib. 1. tit. 6. de visitat. lib. 5. §. 2. num. 9. & Ego ipse d. tract. de officio & potest. Episcopi. p. 3. allegat. 74. num. 4. propè fin. ubi etiam quòd text. in præsentem non derogat consuetudini immemoriali, ex Seraphin. decis. 417. num. 7. nec corrigit Exrrauag. cum Mathaus 3. de heret. inter communes, ex Cened. ad Clementinas collect. 14. num. 9. cum seqq.

### Conservatoria litteræ in quibus vim habeant?

#### C A P V T V.

- 1 Doctores de materia huius cap. agentes.
- 2 Doctores de Conservatorijs, & litterarum conservatoriarum materia tractantes.
- 3 Conservatoria Regularibus concessa non fuerunt sublata ex decreto cap. 20. sess. 24.
- 4 Religiones non habentes Conservatores possunt illos eligere per communicationem privilegiorum cum alijs eos habentes.
- 5 Abbas Ordinis Oliuetani potest eligi in Conservatorem, si Episcopus in Synodo eum deputaverit iudicem Synodalem.
- 6 Milites Hierosolymitanos non afficit constitutio Gregorij XV. de Conservat.
- 7 Regulares etiam elapso tempore præfixo in constit. Gregorij XV. in Conservat. illos iuxta eius formam eligere possunt.
- 8 Conservatores Regularium procedere an possint contra debitores ex causa civili.
- 9 Conservator ut suspectus recusari potest.
- 10 Conservatoria aliqua non durant post quinquenniū.

<sup>a</sup> Cap. 1. & c. ult. de off. deleg.

**I**nsuper, cum nonnulli, qui sub prætextu quòd super bonis, & rebus, ac iuribus suis diuersæ eis iniuriæ ac molestiæ inferantur, certos iudices per literas Conservatorias deputari obtinent, qui illos à molestijs, & iniurijs huiusmodi tueantur, ac defendant, & in possessione, seu quasi, bonorum, rerum, ac iurium suorum manu teneant, & conseruent, nec super illis eos molestari permittant, eiusmodi litteras in plerisque contra concedentis mentem in reprobam sensum detorqueant: idcirco nemini omnino, cuiuscumque dignitatis & conditionis sit, etiam si Capitulum fuerit, Conservatoriæ litteræ, cum quibuscumque clausulis, aut decretis, quorumcumque iudicium deputatione, quocumque etiam alio prætextu, aut colore concessæ, suffragentur ad hoc, ut coram suo Episcopo, siue alio Superiore Ordinario, in criminalibus, & mixtis causis accusari, & conuenire, ac contra eum inquiri, & procedi non possit: aut quo minus, si qua iura ei ex cessione competierint, super illis liberè valeat apud iudicem Ordinarium conueniri. <sup>a</sup> In civilibus etiam causis, si ipse actor extiterit, aliquem ei apud suos conservatores iudices in iudicium trahere minimè liceat. <sup>β</sup> Quod si in ijs causis, in quibus ipse reus fuerit, contigerit, ut electus ab eo Conservator ab actore suspectus esse dicatur: aut si qua inter ipsos iudices, Conservatorem, & Ordinarium, controuersia super competentia iurisdictionis orta fuerit, nequaquam in causa procedatur, <sup>γ</sup> Donec per arbitros in forma iuris electos, super suspitione, aut iurisdictionis competentia fuerit iudicatum. Familiaribus verò eius, qui huiusmodi litteris Conservatorijs tueri se solent, nihil illæ profint, præterquam duobus duntaxat, si tamen illi proprijs eius sumptibus vixerint. Nemo etiam similibus litterarum beneficio, <sup>δ</sup> ultra quinquenniū, gaudere possit. Non liceat quoque Conservatorijs iudicibus vllum habere tribunal erectum. <sup>ε</sup> In causis verò mercedum, aut miserabilium personarum, huius sanctæ Synodi super hoc decretum in suo robore permaneat. <sup>ζ</sup> Vniuersitates autem generales, ac Collegia Doctorum, seu scholarium, & regularia loca, necnon hospitalia, actu hospitalitatem seruantia, ac Vniuersitatem, Collegiorum, locorum, & hospitalium huiusmodi personæ in præsentem canone minimè comprehensæ, sed exemptæ omnino sint, & esse intelligantur.

<sup>b</sup> Suprà sess. 7. cap. 14.

**V**ide Salzed. ad Bernard. in pract. cap. 3. vers. nec possunt, Fr. Emman. quæst. regul. tom. 1. quæst. 65. Gutier. pract. lib. 3. q. 9. Farin. consil. 68. num. 20. Campan. in diuersis iuris canon. rub. 12. cap. 13. num. 24. cum seqq. Aloyf. Rice. in decis. curia Archiep. Neapol. decis. 158. part. 2. Franc. Leon. in thesauro fori eccles. p. 2. cap. 3. num. 102. cum seqq. Modern. de suppliment. ad sanctiss. part. 2. cap. 11. à num. 7. Sanch. in consil. moral. tom. 2. lib. 6. cap. 9. dub. 5. num. 11. & 12. metipsum de officio, & potest. Episcopi p. 3. alleg. 106. à num. 17.  
De Conservatorijs, & litterarum conservatoriarum materia, vide Doctores per text. ibi in cap. 1. de officio deleg. lib. 6. Syluest. in summ. verb. Conservator, Azved. ad tit. 8. lib. 1. noua recop. Mandos. de signatura gratiæ, tit. de Conservatoria, Cabedo diuersorum iuris argument. libro 3. cap. 18. Molin.

Molin. de iustit. tract. 5. d. 29. Gutier. d. quæst. 9. Fr. Emman. d. quæst. 65. Aloyi. Rice. in collect. decis. part. 4. collect. 899. & d. decis. 258. Ioan. à Cruce de statu relig. lib. 2. cap. 10. Fr. Ludovic. Miranda in man. Pralat. tom. 2. q. 47. Portel. in dub. regular. verb. Conseruatores. Hieron. Roderic. in compendio quæst. regul. resolut. 33. Ceual. commun. contra communes tom. 2. quæst. 797. num. 792. cum seqq. Campan. & Franc. Leon. citatis locis, nouissimè Mendez à Castro in praxi Lusitana p. 2. lib. 2. cap. 3. num. 23. cum seqq. Tambur. de iure Abbatum tom. 3. disput. 17. Gabr. Pereira Lusit. decis. 118. num. 15. & 16. Alexandr. Monet. in special. tract. de Conseruatoribus. Et ultra constitutionem Clementis VIII. incip. sanctissimus, de anno 1592. emanauit alia Gregorij XV. incip. Sanctissimus, de anno 1621 quam retuli d. alleg. 106. num. 55. & post me Masfobr. de Synodo Episcopi cap. 3. post dub. 8. In qua constitutione Gregorij XV. inter cetera statutum est, vt coram Conseruatoribus Regulares conueniri quidem, aut trahi debeant, sed alios conuenire, aut retrahere non possunt, itaut memorati Conseruatores in causis, in quibus Regulares, & alij actores fuerint, nullam prorsus iurisdictionem habeant, sed in ijs tantum, in quibus rei extiterint, quibus verbis minime sublatam fuisse facultatem, quam habent Conseruatores defendendi Regulares à manifestis iniurijs, ac violentijs, dummodo obseruent formam præscriptam constitutionibus Innocentij IV. & Bonifacij VIII. relatis in cap. 1. & fin. de officio deleg. lib. 6. refero decisum Ego ipse d. alleg. 105. in fine, secundum Lugdunen. impress.

3. Conseruatorias Regularibus concessas, quas Concil. in præsentia saluas esse voluit, non fuisse sublatas ex decreto cap. 20. sess. 24. tenet Aldan. in compendio canon. resolut. lib. 4. tit. 8. num. 10. vbi retet sic decisum fuisse sub die 18. Ianuarij 1594.

4. Conseruatorum Regularium priuilegia cum ex dispositione Pij V. extendantur ad tres dioceses, & sic possent eorum iurisdictione extendi ad plures Episcopatus, & ex dispositione Gregorij XIII. teneantur dicti Conseruatores, & Regulares notificare huiusmodi electionem, & deputationem Conseruatorum Ordinario loci, debet illa fieri non solum Ordinario prædicti loci, sed etiam omnibus Ordinarijs, ad quorum dioceses se extendit eorum facultas, seu iurisdictione, ita Aldan. d. tit. 8. num. 11. vbi attestatur sic fuisse resolutum sub die 11. Iulij 1620.

5. Religiones Conseruatores non habentes, illos eligere possunt per communicationem priuilegiorum cum alijs eos habentes, stante dispositione cap. fin. de offic. deleg. lib. 6. vbi habentur ea verba quod plerumque à Sede Apost. Conseruatores conceduntur, ergo cum de facili concedantur Conseruatores, veniunt sub communicatione priuilegiorum, ita Aldan. vbi sup. vbi ait sic decisum sub die 12. Septembris 1620.

6. Abbas Ordinis Oliuetani potest eligi in Conseruatore, si Episcopus in Synodo eum deputauerit iudicem synodalem, ita Sel. in select. canon. cap. 12. num. 4. vbi te-

net ita fuisse resolutum sub die 2. Martij 1619. Vtrum autem Abbates, Priores, & ceteri Prælati Regulares hodie in Iudices Conseruatores eligi possint vide nouissimè Tambur. de iure Abbatum tom. 3. disput. 17. q. 4.

7. Milites Hierosolymitanos non afficit dicta constit. Gregorij XV. nisi quoad Conseruatores, & non quoad iudices ordinatos habentes ordinariam iurisdictionem intra limites suorum Prioratum, Sel. citato loco, vbi testatur ita resolutum in Meleuitana 6. Februarij 1627.

8. Regulares, qui in tempore sibi in dicta constitutione Gregorij XV. præfixo, Conseruatores eligere non curauerunt, dicto tempore elapso quocumque eis libuerit, Conseruatores iuxta formam dictæ constitutionis eligere possunt, Sel. d. cap. 12. num. 7. vbi dicit sic resolutum sub die 18. Septembris 1627.

9. In ciuilibus etiam causis, &c. Vide Fr. Emman. d. q. 65. art. 13. Ioan. à Cruce d. cap. 10. dub. 6. concl. 2. Ceual. d. quæst. 797. num. 792. cum seqq. Fr. Ludovic. Miranda d. q. 47. art. 7. concl. 5. & 6. Portel. in dubijs Regularibus verb. conseruatores, num. 7. Hieron. Roderic. d. resolut. 33. num. 12. & à 26. Franc. Leon. d. c. 3. num. 101. Gutier. præc. lib. 3. quæst. 9. à num. 8. & lib. 4. q. 63. per totam, Cabed. d. c. 18. num. 4. Campan. d. cap. 13. num. 20. metipsum d. alleg. 106. numer. 40. Mendez à Castro d. part. 2. lib. 2. cap. 3. num. 30. in fine.

10. Quod si in his causis, &c. Conseruatorem vt suspectum recusari posse per hoc decretum, tenet Ceual. d. tom. 4. q. 897. num. 779. cum seqq. quem refero d. alleg. 106. num. 35. Campan. d. cap. 13. num. 25. in fine, contra Azorij per eum citatum.

11. Donec per arbitros in forma iuris electos, &c. Loqui de Conseruatoribus electis à partibus ad vnam, vel alteram causam, non habentibus, nec valentibus habere Tribunal erectum, dicit Anguian. in tract. de legibus lib. 3. controu. 33. num. 4. De practica procedendi ad eligendos huiusmodi arbitros, vbi contentio fuerit inter Conseruatorem & Ordinarium, vide Ceual. commun. contra communes tom. 4. q. 897. num. 741. cum seqq. & num. 775. Mendez de Castro in praxi Lusitana p. 2. lib. 2. c. 3. nu. 28. vbi addit eo casu, quo vnus ex illis non herit arbitros eligere, recurri posse ad Regem vt arbitros assumat tanquam protectorem Concilij Tridentini, quod non approbo.

12. Ultra quinquennium. Transacto quinquennio non durant littere conseruatorie, vt per Fusc. quem citat Ceual. d. quæst. 897. nu. 789. Fr. Emman. d. quæst. 65. art. 9. Azor. instit. moral. p. 2. lib. 5. cap. 34. q. 14. Campan. d. c. 13. num. 25. ver. quin si nullo, Fr. Ludovic. Miranda d. quæst. 47. art. 6. vbi quod in Ordinibus, & Religionibus Conseruatorum officium non est temporale, & metipsum d. alleg. 106. num. 50. & 51. Hieron. Roder. d. resolut. 33. num. 8.

13. In causis verò mercedum, &c. Vide supra sess. 7. de reform. cap. 14.

14. Vniuersitates autem, &c. Vniuersitatum Conseruatores minime sub hoc decreto comprehendi, tenet Anguian. d. lib. 3. controuers. 33. num. 5. & 6.

De Honestate in vestibus à Clericis seruanda.

C A P V T VI.

- 1 Clericorum proprius habitus, illiusque honestas.
- 2 Habitum non facit Monachum.
- 3 Habitum clericalem honestum non deferens quas penas incurrat de iure Concilij.
- 4 & quid attentata constit. Sixti V.
- 5 Habitum clericalem non tenentur deferre clerici qui habent fructus, aut pensionem non excedentes valorem annuum 60. duc.
- 6 Inseruientes Palatio Apost. in inferioribus ministris si habuerint pensionem, non tenentur in habitu, & tonsura incidere.
- 7 Vestes duæ non longa non requiruntur in clerico.
- 8 Clement. quoniam, de vita, & bon. cler. non habet locum in clerico, qui semel habitum dimisit.
- 9 Clericus non valens ratione paupertatis habitum proprio Ordini congruentem gestare, excusatur.
- 10 Tonsuram propter infirmitatem non deferens clericus nullam penam incurrit.
- 11 Clericus, qui propter aliquod verisimile periculum transformari cogeretur, in nullam penam incidit.
- 12 Habitum dimittens clericus domi suæ, & in occulto excusatur.
- 13 Vestes breuiiores habens clericus ex necessitate itineris excusatur.

Quia